

et alii in 2, dist. 22. Sed quod ad potestatem attinet, intelligendum est non solum de potestate remota, sed aliquo modo proxima, id est, quod juxta capacitatem hominis, et consideratis circumstantiis, et notitia quam habet, possit se applicare ad eam diligentiam adhibendam, quia licet illa diligentia in se sit possibilis, tamen si in mentem hominis nunquam venit de illa cogitare, aut de aliqua re, quæ moraliter posset ad illam excitare, vel certe si eodem modo nunquam intellexit illud esse medium accommodatum ad scientiam acquirendam, non potest dici talis diligentia moraliter esse in hominis potestate. Atque eodem modo circa obligationem oportet advertere, non satis esse, hominem teneri ad aliquid faciendum, quod si faceret, non ignoraret, sed oportet ut teneatur id facere ad scientiam acquirendam, nam alia obligatio est quasi extrinseca, et per accidens : atque eodem modo necessarium est, ut modo non excusetur a tali obligatione propter aliquam aliam causam rationabilem; nam quoad rem moralem, perinde est excusari et non teneri.

20. *Unus modus ignorantiae invincibilis.* — *Alter modus.* — Unde concluditur, dupliciter posse ignorantiam esse invincibilem : primo modo, quia nunquam venit in mentem hominis se teneri ad id sciendum vel inquirendum, vel ad utendum tali medio, seu tali diligentia ad acquirendam scientiam, ut, verbi gratia, ad non furandum, ne ponat impedimentum divinæ illustrationi, quia hujusmodi dispositio reddit hominem impotentem ad faciendam diligentiam, et hæc propriissime est ignorantia invincibilis. Secundo modo est quando homo dubitans se ignorare, facit moralem diligentiam rei et negotio accommodatam, et nihilominus non potuit illam ignorantiam expellere, et illa dicitur ab aliquibus ignorantia *probabilis*, quia jam ille homo probabili fide in illa durat, et ideo excusat majorem diligentiam adhibere, licet fortasse posset. Quanta vero esse debeat hujusmodi diligentia ut sit *probabilis*, non potest una regula definiri, sed prudentia opus est juxta materiæ qualitatem. Unde tandem fit ignorantiam vincibilem duo illa requirere, quæ de voluntario indirecto supradicta sunt, se quod possit et debeat prædicto modo scire seu inquirere, et non faciat, nec diligentiam adhibeat, quam si omnino omittat, talis ignorantia est propriissime vincibilis, et coincidit cum *crassa*, vel *supina*, vel *affectata* : si vero adhibeat aliquam diligentiam, non vero sufficientem, dici solet ignorantia *improbabilis*.

21. *Sexta divisio ignorantiae.* — Ad explicandam autem hanc quintam divisionem, oportet advertere sextam, quam Aristoteles tetigit 3 Ethic., cap. 1, et de qua est titulus in jure civili *ff. de Juris et facti ignorantia*. Est ergo alia ignorantia *juris*, alia *facti*. Sub *jure* comprehenditur jus divinum, naturale, et positivum, aut jus humanum, ac denique omne superioris præceptum : sub *facto* autem comprehenditur vel tota actio vel circumstantia ejus, vel effectus, qui ex illa postea sequitur : et utrumque horum, scilicet *et jus, et factum* potest invincibiliter, et vincibiliter ignorari : licet de singulis fere soleant moveri quæstiones. Utrum jus naturale, divinum, positivum vel humanum possit invincibiliter ignorari. Sed non sunt hujus loci, viderique possunt dicta in materia de Legibus : generatim tamen loquendo non dubito quin in omnia hæc membra possit cadere ignorantia invincibilis, quamvis facilius in jure positivo divino, quam naturali, quia hoc habet cum homine magis intrinsecam connexionem. Unde inter naturalia quædam sunt, quæ minus possunt ignorari sine culpa, quia sunt lumine naturæ notiora, et forte aliqua sunt tam per se nota, ut nullo modo possint invincibiliter ignorari, ut sunt principia universaliora, ut *bonum est faciendum, turpe vitandum*, et aliqua etiam immediata, ut *nemini est facienda injuria* : atque eadem ratione facilius potest ignorari jus humanum, quam divinum, et factum, quam jus : quia est magis contingens et mutabile, et in ipso facto facilius ignorantur extrinsecæ circumstantiæ, quam intrinsecæ, et quæ sunt per se connexæ cum ipso opere : et juxta hæc diversa capita judicandum est de diligentia, quæ sufficiat ad reddendam ignorantiam *invincibilem*, seu *probabilem*.

22. *Septima divisio.* — Septimo addi potest divisio tacta ab Aristotele, nam alia est ignorantia, quæ absolute opponitur scientiæ et cognitioni, in quam proprie nomen *ignorantiæ* convenit : alia vero est, quæ solum privat actuali advertentia, seu memoria, quæ magis proprie dicitur *inconsideratio*, seu *oblivio*, et vocari solet *ignorantia actualis*, et ad utramque fere possunt accommodari fere omnia dicta, et de utraque dicemus duabus sectionibus sequentibus.

23. *Octava divisio.* — Ultimo non est omitenda divisio dialectica ignorantiae, in ignorantiam *negationis*, et *pravæ dispositionis*. Circa quam, quod ad rem moralem spectat, solum est advertendum ignorantiam *negationis*

non esse quamcumque negationem scientiæ, quæ potius *nescientia* dicitur, neque quamcumque privationem physicam, sed moralem, ita ut sit carentia scientiæ moraliter debitæ, tamen sine errore, vel cognitione contraria, nam quando hæc adjungitur, illa dicitur ignorantia *pravæ dispositionis* : vocatur autem *prava* non moraliter, seu culpabiliter, sed quia est mala affectio, seu dispositio hominis, quæ si sit voluntaria, pertinebit ad malum culpæ : si autem involuntaria, tantum ad malum pœnæ. Est autem considerandum hanc ignorantiam *pravæ dispositionis* coincidere cum conscientia erronea, in qua intercedit positiva cognitio, seu existimatio, et ex hac parte potest movere directe voluntatem, et ita non solum causare voluntarium, sed etiam interdum causare honestum actum, et suo modo concurrere ad specificationem ejus, et de illa dicendum est, tractatu sequenti, disputat. ultima : præter positivum vero includit negationem debitæ scientiæ : et quoad hoc eadem est ratio de illa, quæ de ignorantia *privativa*, quoad causandum voluntarium, vel involuntarium, de quo jam dictum est.

SECTIO II.

Utrum et quæ ignorantia causet voluntarium, vel involuntarium.

Diximus quomodo ignorantia ipsa voluntaria, vel involuntaria sit : sequitur dicendum quomodo ratione illius actio aliqua, vel omisio, vel effectus ejus voluntaria, vel involuntaria sit ; et dicemus de illis tribus ignorantibus antecedenti, concomitanti, et consequenti, nam de omnibus est difficultas.

1. *Prima difficultas circa titulum quoad ignorantiam antecedentem.* — Primo de antecedenti dici solet causare involuntarium, in quo est duplex difficultas. Prima, quia hæc ignorantia est causa actus voluntatis : ergo causat voluntarium. Antecedens constat ex dictis, quia in hoc distinguitur hæc ignorantia a concomitante. Consequentia vero probatur, quia actus voluntatis per se est voluntarius : ergo qui causat illum, causat voluntarium : hac enim ratione probavimus supra metum et concupiscentiam causare voluntarium simpliciter.

2. *Secunda difficultas quoad eandem ignorantiam.* — *Assertio contra hanc difficultatem.* — *Refellitur.* — Secunda difficultas est, quia involuntarium est illud, quod repugnat appetitui

positivo voluntatis ; sed quod fit per ignorantiam antecedentem, non est hoc modo involuntarium, quia non est necesse, ut qui propter ignorantiam comedit carnes die prohibito, tunc actu habeat displicentiam, seu simplicem affectum illi actioni contrarium : imo vix fieri potest ut illum habeat, quia supponimus in illo actu ignorare illam conditionem, quæ ab illo posset avertere voluntatem. Dices non sumi hic voluntarium in eo rigore, id est, contrarie, sed solum negative, seu privative, sicut supra de ignorantia involuntaria dicebamus. Unde potest hæc responsio confirmari, quia ignorantia non potest facere actum magis involuntarium, quam ipsa sit. Sed contra hoc est, quia tam Aristoteles, quam D. Thomas, et alii, hanc differentiam ponunt inter ignorantiam antecedentem et concomitantem, quia illa causat involuntarium, hæc vero nec voluntarium, nec involuntarium, sed non voluntarium : ergo necesse est ut priorem partem intelligant de involuntario contrarie, alias quid differret inter ignorantiam antecedentem et concomitantem ?

3. *Tertia difficultas quoad ignorantiam concomitantem.* — *Confirmatur.* — Atque hinc oritur tertia difficultas de ignorantia concomitante, quia si formaliter sumatur, ut concomitans est, sicut non causat voluntarium, ita nec non voluntarium : tum quia illa ut sic, non est causa actionis : ergo nullam conditionem in eam influit : tum etiam, quia alias hæc ignorantia semper excusaret culpam, nam ut actio non imputetur ad culpam, satis est, quod non sit voluntaria, quamvis positive involuntaria non sit, nam cum de ratione culpæ sit voluntarium, sufficit carentia voluntarii ad excusandum a culpa : si vero consideretur hæc ignorantia quatenus ipsa voluntaria, aut involuntaria esse potest, non semper facit actionem non voluntariam, nam quando ipsa voluntaria est, etiam actio quæ cum illa fit reputatur voluntaria, et imputatur ad culpam. Veluti si quis occidat hostem, putans se occidere feram, non facta sufficienti diligentia ad vitandum homicidium, sine dubio ei imputatur ad culpam, etiamsi illa ignorantia concomitans sit : nam si ille esset ita virtualiter dispositus, quod si sciret ibi esse hominem, non interficeret, nihilominus propter negligentiam culparetur ut homicida : ergo non minus culpandus est, eo quod ita sit affectus, quod si sciret, libentius occideret, nam hæc dispositio non excusat, sed potius accusat. Atque idem a fortiori est, quando ignorantia concomitans est de conditione ali-

qua impertinente ad actum, ut si quis furetur die festo ignorans esse diem festum, qui non minus esset furaturus, etiamsi id sciret, nam illa ignorantia reputatur concomitans, et tamen nullo modo facit actum non voluntarium, non solum si voluntaria ipsa sit, sed etiam si sit omnino involuntaria.

4. *Quarta difficultas quoad ignorantiam consequentem.* — Ultimo esse potest difficultas de ignorantia consequenti: de qua dicitur, quod causat *voluntarium*: quod non potest esse verum de *voluntario directo*, quia aufert illius objectum: neque etiam de *voluntario indirecto* id videtur universale, quia supra dictum est, quod quamvis omissio aliqua sit voluntaria, non est necesse effectum inde secutum esse voluntarium indirecte, quia per accidens sequitur, sed ignorantia est quaedam omissio: ergo licet ipsa sit voluntaria, non est necesse effectum inde secutum esse voluntarium: ut, verbi gratia, si aliquis negligenter ignoret hunc, qui petit eleemosynam esse pauperem, et ideo dat, illa ignorantia consequens est, nam est causa actus: non enim daret, si sciret esse divitem, et est voluntaria, cum non sit facta sufficiens diligentia ad expellendam illam, et tamen illa donatio non fit voluntaria, imo alter tenetur restituere quod accepit: ergo illa doctrina non est universaliter vera. Et confirmatur, nam ignorantia ebrii, qui se voluntarie inebriavit, non facit semper voluntarium homicidium subsecutum, et tamen illa est consequens: nam et est causa actus, non enim occideret, si non esset privatus usu rationis propter ebrietatem, et est voluntaria saltem in alio, id est, in ebrietate.

5. In hac re considerandum est aliud esse loqui de effectu, seu actu quem voluntas habet occasione ignorantiae circa rem aliam cognitam, aliud vero de actu circa rem ignoratam ut ignorata est. Quod exemplo declaratur, nam qui comedit carnes die prohibito ignorans prohibitionem, duo potest intelligi operari, et velle: unum est, quod comedit carnes, quod non est ab ipso ignoratum, sed cognitum alterum est, quod transgreditur praecipuum, quod est ab ipso ignoratum, et fortasse occasione hujus ignorantiae facit illud primum. Hic non est proprie sermo de priori actu, seu effectu, sed de posteriori, tamen ut primam difficultatem dissolvamus.

6. Dicendum primo, ignorantiam posse esse causam voluntarii directe circa aliquod materiale objectum quatenus cognitum est alias. Hoc tetigit Cajetanus, 1, 2, quaest. 76, art. 1,

et clarius Adrianus, quodlib. 4, et exemplo adducto declaratur: nam ille actus comedendi carnes simpliciter est voluntarius, et tamen ut sic, est causatus ab ignorantia, eo modo quo ignorantia potest causare, scilicet ut causa per accidens removens prohibens, nam si ille sciret prohibitionem, non comederet. Et hoc etiam probat difficultas prima supra tacta: atque idem procedat de ignorantia consequenti; in concomitante vero non habet locum, quia sicut non est causa actus, ita nec ejus *voluntarii*.

7. Dices: cum *voluntarium directum* per se requirat cognitionem, quomodo potest ignorantia esse causa illius? Deinde si causa haec sit omnino involuntaria, quomodo potest esse causa effectus voluntarii? haec enim ratione omnes auctores dicunt ignorantiam antecedentem causare *involuntarium*. Ad priorem partem respondetur duo requiri ut voluntas moveatur: primum ut in objecto appareat aliqua ratio attrahens ipsam, secundum ut non appareat aliquid detinens, seu avertens ipsam. Quantum ad primum, concurrunt positive cognitio ad causandum *voluntarium*, non tanquam removens prohibens, sed tanquam applicans materiam circa quam, seu causam per se moventem voluntatem: quoad secundum vero potest per se concurrere ignorantia, non quidem objecti cogniti ut cognitum est, sed alicujus conditionis ejus, quae averteret voluntatem, et ideo non concurrat ut cognitio, sed ut removens prohibens, ut dixi. Unde patet responsio ad posteriorem partem, nam haec ignorantia non causat hoc voluntarium, eo quod ipsa voluntaria sit, sed praecise ex hoc quod tollit impedimentum talis voluntarii, et ad hoc non est necesse, ut sit voluntaria, sicut cognitio causat *voluntarium*, etiamsi ipsa voluntaria non sit, sed mere naturalis, quia non causat ut voluntaria, sed praecise ut applicans objectum movens potentiam: et idem esse potest de habitu, et in omni alia causa actus voluntatis, quia haec sunt veluti causae physicae per se, et vel per accidens actus voluntatis: quando vero auctores dicunt ignorantiam involuntariam causare *involuntarium*, intelligunt respectu conditionis ignoratae, ut statim dicam, non respectu actionis cognitae, et objecti directe voliti.

8. *Secunda assertio manifesta.* — Dicendum secundo. Respectu conditionis ignoratae, omnis ignorantia causat *non voluntarium directum et in se*. Hoc est per se notum, supposito illo primo principio, quod voluntas non potest ferri in incognitum: ergo voluntas necessario efficit,

ut id quod ignoratum est, ut sic, non possit esse in se volitum: hoc autem necessarium est ad *voluntarium directum et in se*.

9. Solum posset aliquis de ignorantia affectata, nam haec non videtur excludere hoc voluntarium directum: cum enim aliquis vult ignorare prohibitionem superioris, ut liberius operetur, tunc directe vult sic operari, et tamen operatur ex ignorantia affectata. Respondetur, aut ibi non esse *voluntarium directum*, aut eo modo quo est, non esse ex ignorantia ulla, sed supponere cognitionem, illa enim non vult absolute efficere illam operationem, quatenus continet transgressionem praecipui, quia revera non scit esse tale praecipuum, nec hujusmodi transgressionem: sicut qui directe vult ignorare, quid Ecclesia sentiat, vel definerit de aliqua propositione, ut liberius opinari possit, non vult directe sentire et opinari contra illam, quia revera ignorat esse contra illam: imo ideo vult hoc ignorare ut non cogatur a sua sententia discedere. Propter quod multi probabiliter existimant talem ignorantiam affectatam excusare a formali peccato haeresis, quamvis non excuset a culpabili errore: qui ergo ita vult ignorare, directe vult operationem illam, cujus prohibitionem ignorare vult, et ad summum vult etiam exponere se periculo transgrediendi legem, seu sic operari, etiam si contingat id esse prohibitum, et respectu hujus voluntarii directi non habet ignorantiam, nam satis cognoscit esse possibile et contingens illud esse prohibitum.

10. *Tertia assertio.* — Dicendum tertio. Ignorantia antecedens causat simpliciter *involuntarium* respectu actus, vel effectus quatenus ignoratus est. Si in hac conclusione *involuntarium* sumatur negative, seu privative, est res certissima, et indubitata etiam in fide: constat enim hujusmodi ignorantiam excusare culpam, ut patet de Jacob accedente ad Liam antequam esse uxor sua, qui in eo actu nihil peccavit ratione ignorantiae, non autem excusat culpa, nisi quia tollit voluntarium: ratio a priori est clara, illa enim conditio ignorata non est directe voluntaria in se, ut patet ex conclusione praecedenti, neque etiam est voluntaria indirecte, seu in alio, quia nullo modo est praevisa, sed invincibiliter ignorata, ut supponitur. Item quia causa ejus, quae est ignorantia, est prorsus involuntaria: ergo ex nullo principio potest ille actus ut sic, esse voluntarius. Si autem in conclusione involuntarium sumatur contrarie, sic est conclusio incerta propter secundam difficultatem, n. 2,

tactam, quam melius expediemus simul cum sequenti conclusione.

11. *Quarta assertio bipartita.* — Dicendum quarto. Ignorantia concomitans, si sit omnino involuntaria, facit actum ignoratum omnino involuntarium *privative*, quamvis non *contrarie*. Ita Almainus, tract. 1, Moral., cap. 4, licet sine causa existimet hoc esse contra D. Thomam, nunquam enim hoc aperte negavit, nam potius de omni ignorantia concomitante videtur affirmare, quod causet non voluntarium, de quo postea. Alii vero auctores in 2, distinctione 22, praesertim Gabriel, quaest. 2, et Marsilius, quaest. 15, art. 2, Adrianus, quodlib. 4, videntur huic conclusioni contradicere, quia sentiunt hanc ignorantiam concomitantem non excusare a culpa, quantumvis involuntaria sit: tamen illi videntur loqui de quadam ignorantia, quam ego potius *impertinentem* vocarem ad rem moralem, quam concomitantem, et adhuc de illa non recte loquuntur, ut dicam.

12. *Probatur haec assertio quoad primam partem.* — Probatur ergo conclusio eodem modo, quo praecedens, quia talis ignorantia excusat a culpa: ergo tollit voluntarium. Antecedens probatur, quia qui sic ignorat, licet alias habeat paratam voluntatem ad ita operandum si sciret, tamen hic et nunc non operatur ex illa voluntate, et alias facit sufficientem diligentiam ne sequatur talis effectus, vel certe prorsus ignorat talem actum esse prohibitum, vel aliquid simile: ergo non est unde ei imputetur ad culpam talis effectus, vel transgressio. Confirmatur et declaratur, nam si quis mittat sagittam ad occidendam feram, et facit sufficientem diligentiam ad vitandum periculum occidendi hominem, et postea occidat inimicum quem libentius occideret, si sciret ibi adesse, nihil peccat, nec est homicida: ergo non occidit voluntarie. Antecedens patet, quia si occideret amicum, non esse homicida, quia jam esset ignorantia antecedens: ergo neque occidendo inimicum. Patet consequentia, quia ratio culpae non pendet ex re extrinseca mere casuali, quod autem contingat ibi esse amicum, vel inimicum, est mere casuale et extrinsecum.

13. Rursus hoc ita declaro, nam variis modis potest intelligi homo esse dispositus in hujusmodi eventu, primo quod illam praeparationem voluntatis ad occidendum inimicum habeat solum in habitu, seu virtute ratione actuum praecedentium, tamen hic et nunc nihil cogitet de inimico, neque habeat aliquem actum voluntatis circa illum, et tunc est evi-

dens nihil peccare occidendo illum, quia actus emittendi sagittam prout hic et nunc fit, est prudenter factus et cum sufficienti diligentia, ut supponitur: ergo illa voluntas sagittandi nullam habet malitiam: ergo illud homicidium tunc non est in se directe volitum, ut per se constat: neque etiam in alio, scilicet in venatione, quia per accidens sequitur, et nullo modo est praevisum: neque etiam indirecte, quia hic et nunc non tenetur homo ille vitare hanc actionem, ne sequatur ille effectus, vel saltem excusatur ob excusabilem inadvertentiam: ergo, etc.

14. Secundo modo potest esse homo ita dispositus, ut quando emittit sagittam, actu cogitet de inimico, et habeat simplicem complacentiam, seu desiderium mortis illius, prout explicatur his verbis: Utinam ibi esset inimicus, ut illum configerem: et tunc multis videtur ille effectus voluntarius, quia est volitus ab operante. Sed, ut in superioribus diximus, in rigore aliud est esse *volitum*, aliud *voluntarium*. Ille ergo effectus in eo casu, est volitus objective per simplicem affectum et voluntatem inefficacem, non tamen per absolutam et operativam, et ideo non est voluntarius tanquam a voluntate procedens, sicut si sagitta ab alio mitteretur, et alter haberet illum affectum, utinam illa sagitta interficeret inimicum meum, peccaret quidem interno affectu homicidii, et ille effectus si fieri contingeret, esset illi objective volitus, non tamen active, et ideo non esset voluntarius, neque actio illa exterior illi imputaretur ad culpam: idem autem est quando illa duo conjunguntur in eodem, nam ille affectus interior circa mortem inimici, et actus exterior emittendi sagittam, licet unius suppositi sint, tamen unus non est active ab alio, et ille affectus non imperat hanc actionem, sed sola voluntas venandi: ergo effectus ex venatione secutus non est voluntarius ratione illius affectus simplicis: unde in illo casu ille non est homicida exterior, nec maneret irregularis si faceret (ut supponitur) sufficientem diligentiam. Confirmatur, nam si ille effectus tunc esset voluntarius ratione illius simplicis affectus, esset directe voluntarius, quia ille affectus directe terminatur ad illud objectum in se: ergo tale *voluntarium* non fundaretur in ignorantia prout nunc loquimur: constat autem non esse directe voluntarium per modum actionis, sed solum per modum objecti, in quo voluntas habet simplicem complacentiam, quare, etc.

15. Tertio tamen modo posset intelligi hu-

jusmodi homo ita dispositus, ut non solum haberet simplicem affectum, sed etiam hunc actum: Volo emittere sagittam, si forte illic sit inimicus: et tunc sine dubio effectus videtur judicandus voluntarius, quia jam illa actio non procedit tantum ex voluntate venandi, sed etiam ex voluntate interficiendi inimicum: tunc autem vel moraliter fieri non potest, ut cum tali voluntate fiat sufficiens diligentia ad vitandum homicidium, vel si admittamus hanc fieri, dicendum est voluntatem illam non procedere ab ignorantia, sed a communi scientia, quia iste existimat casu fieri posse, ut ibi sit inimicus, non obstante praemissa diligentia, et ideo hoc nihil repugnat conclusioni positae.

16. Dices: Si haec ignorantia concomitans non est causa actionis, non est etiam causa effectus subsequenti ex actione: ergo quod illa sit involuntaria, nihil referre potest ut effectus etiam involuntarius sit: alioqui si ipsa esset involuntaria positive, seu contrarie, ut regulariter esse potest, etiam effectus esset positive involuntarius, quod est contra conclusionem positam. Respondetur imprimis, ut ignorantia haec faciat effectum omnino non voluntarium, non oportere ut sit causa, sed satis esse ut tollet conditionem ad *actuale voluntarium* necessariam, qualis est cognitio, quae per ignorantiam tollitur. Unde licet illa conditionalis aliquo modo vera sit, scilicet quod si sciret, libentius faceret, tamen hic et nunc nullam actualem voluntatem directam, aut indirectam ponit in operante, quae sit causa illius effectus, et hoc provenit ab ignorantia, et ideo potest causare involuntarium in effectu, quamvis non causet ipsum effectum. Denique cum illa ignorantia sit invincibilis, ratione illius fit, ut voluntas emittendi sagittam possit esse prudens, et debito modo facta, et consequenter ut effectus subsequens sit prorsus casualis, et praeter voluntatem operantis. Neque est eadem ratio de *involuntario contrarie*, nam ignorantia sive sit privative, sive positive involuntaria, per se solum habet tollere cognitionem et consequenter voluntarium, tamen ex se non habet inducere affectum contrarium respectu effectus subsequenti, et ita manet simul confirmata ultima pars conclusionis.

17. Ad secundam difficultatem, in num. 2. — Sed urget secunda difficultas in numero 2 posita, quænam sit differentia in hoc inter ignorantiam antecedentem et concomitantem, quando utraque est involuntaria. Nam Aristoteles et D. Thomas in hoc videntur constituere, ut dixi. Respondetur primo ignorantiam con-

comitantem quatenus involuntaria est, inducere aliquo modo rationem antecedentis, ut dixi, et ideo forte non esset necessarium constituere aliquam differentiam. Secundo dicitur, quamvis in actuali affectu nulla sit, tamen in virtuali et interpretativo, aliquam reperiri: nam quando in rigore ignorantia est antecedens, quia homo censetur ita affectus ut si sciret, non faceret, censetur actio non solum *privative* involuntaria, sed etiam quodammodo *positive*, quia censetur illa voluntas virtualiter habere affectum contrarium, cujus signum est tristitia postea subsequuta adveniente scientia: quando vero ignorantia est concomitans, nullum *involuntarium positive* nec actuale, nec virtuale ibi admiscetur, quia voluntas neutro modo habet affectum contrarium, et libentius esset factura si scientia adesset: cujus signum est gaudium postea subsequutum adveniente scientia.

18. Quinta assertio bimembris. — Ultimo dicendum, ignorantiam simpliciter voluntariam reddere actum, vel effectum subsequutum voluntarium, sive illa sit consequens, sive concomitans, in hac conclusione, praesertim quoad priorem partem, omnes conveniunt, et sumitur ex illo Augustini, 3, de lib. Arb., c. 19: *Non tibi imputatur ad culpam si invitus ignores, sed si scire neglexeris*. Ratio vero est, quia ignorantia illa est causa talis actus, seu effectus, ut dictum est de ignorantia consequenti: ergo si ipsa est voluntaria, etiam effectus erit voluntarius, saltem indirecte et in causa. Quo fit ut obiter dicam hujusmodi effectum per accidens non posse esse magis voluntarium, quam sit ipsa ignorantia: unde si illa sit tantum imperfecte voluntaria, verbi gratia, ex levi negligentia, quæ ad mortale peccatum non sufficiat: etiam effectus erit imperfecte voluntarius, et excusabitur a culpa mortali, licet non a veniali. Ratio hujus est, quia effectus non potest esse perfectior sua causa totali, ut sic: ergo si totum *voluntarium* respectu effectus sumitur ex *voluntario* causæ, scilicet ignorantiae, non potest illud esse majus respectu ignorantiae, quam hoc. Notarunt hoc Corduba et Castro, locis citatis, et Navarus, in Summ., capite decimo secundo, numero sexto, licet oppositum insinuet Cajetanus, 1, 2, quæst. 76, art. 4, et forte plura de hoc in tractatu de Peccatis.

19. Sed superest altera pars de ignorantia concomitante, de qua non procedit ratio facta, quia non est causa actionis, ut in 3 difficultate factum est. Sed nihilominus etiam hæc pars est certissima, ut probant exemplum et ratio

adducta in 3 difficultate, num. 3, et præterea, quia illa ignorantia non excusat tunc a culpa: ergo nec tollit voluntarium. Tandem ille tenetur expellere illam ignorantiam ad evitandum actum, et voluntarie hoc facere omittit: ergo voluntarie etiam operatur saltem indirecte. Quare nihil refert, quod hæc ignorantia non sit causa actus, et quod si adesset scientia, actus nihilominus fieret: tum quia quamvis dicamus illum actum non esse voluntarium in ignorantia tanquam in causa, erit tamen illa ignorantia conditio sufficiens ut ille actus sit voluntarius indirecte, quatenus homo tenetur et potest illum vitare et non facit, nam quod esset facturum existente scientia, non excusat illum, sed potius quodammodo magis accusat, quia illa est prava dispositio, et contraria obligationi, qua tenetur vitare actum: tum etiam quia ille effectus est voluntarius in alio actu directe voluntario, ut, verbi gratia, occisio hominis in venatione: ignorantia autem voluntaria quamvis sit concomitans, est ratio, seu conditio ut prior ille actus venandi imprudenter, seu incaute fiat, et consequenter ut in illo censeatur volitus effectus inde secutus.

20. Expediatur tertia difficultas posita, n. 3. — Ad confirmationem in eodem num. — Atque ex his satisfactum est ad tertiam difficultatem in principio positam: concedimus enim totum id quod probare intendit, ut ex hac ultima assertionem, et ex præcedenti satis constat: quando ergo Aristoteles dicit ignorantiam concomitantem causare *non voluntarium*, vel certe locutus est saltem de illa ignorantia quando omnino non est voluntaria, ut supra notavi, vel locutus est præcise de illa quatenus concomitans est, nam ut sic non habet causare *voluntarium*, sed potius *non voluntarium* saltem *directum*: quod vero causet *voluntarium*, interdum id habet quatenus ipsa voluntaria est, sub qua consideratione participat rationem ignorantiae consequentis, ut dictum est. Atque eodem modo est interpretandus D. Thomas, cum 1, 2, quæst. 76, art. 3, dicit ignorantiam concomitantem non excusare, scilicet præcise, ut concomitans est, nam ut est involuntaria, et quodammodo antecedens, excusare potest. Ad confirmationem ibi positam de ignorantia concomitante alicujus conditionis impertinentis ad actum, ut, verbi gratia, quod fiat die festo: respondetur imprimis hic non esse sermonem de ignorantia rei impertinentis ad actum moralem, quia illa etiam si sit antecedens, vel consequens, nihil etiam refert ad moralem actum. Deinde dicitur, qualiscumque